

Universitätsbibliothek Wuppertal

Linguarum Vett. Septentrionalium Thesaurus Grammatico-Criticus Et Archæologicus

Hickes, George

Oxoniae, 1705

Caput nonum. De verbo et iis, quæ verbo accidunt

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1559)

CAPUT NONUM.

De verbo, & iis, quæ verbo accidunt.

I. VERBUM est pars orationis attributum de subjecto affirmans.

II. Convenit hæc definitio primario verbo substantivo, ac proinde aliis verbis, quatenus verbum substantivum in se implicite continent; sic *lego* idem valet, ac *ego sum legens*; *doces*, ac *tu es docens*; *audit*, ac *ille est audiens*.

III. Verbo accidunt quatuor, viz. Persona, Numerus, Tempus, Modus.

IV. Persona triplex est; prima, ut quando quis de seipso quid affirmat; secunda, ut quando quis de alio, ad quem loquitur, aliquid affirmat; tertia, ut quando quis, de alio, ad quem non loquitur, quid affirmat. Notandum autem est apud grammaticos personam, quamvis rem aut suppositum significare.

V. Numerus itidem triplex est; *singularis*, quando ab unâ aliquâ personâ, vel de unâ quid affirmatur vel enuntiatur; *dualis*, quando à duabus personis, vel de duabus quid affirmatur vel enuntiatur; *pluralis*, quando à pluribus personis vel de pluribus quid affirmatur vel enuntiatur. Dualis autem in linguâ *Francicâ*, ut in *Saxonicâ* & *Islandicâ*, solo pronomine distinguitur à plurali, quamvis in matrici *Gothicâ*, peculiari terminatione gaudeat, ut grammaticæ *Anglo-Saxonice*, & *Mæso-Gothicæ* caput VIII. luculente ostendit.

VI. Tempus idcirco verbo accidit, quod attributum nunquam non de prædicato affirmetur in circumstantia aliquâ temporis, præsentis, præteriti vel futuri. Sed quoniam homines in suos conceptus reflectentes observârunt se de præterito nunc ut imperfecte, nunc ut perfecte, nunc vero ut plusquam perfecte præterito loqui solere, ideo pro triplici hæc differentiâ triplicem verborum inflectionem invenere ad animi sui sensa exprimenda; unde in linguâ *Latinâ* quinque orta sunt tempora, præsens, futurum, & tria præterita. Totidem sunt in *Anglicanâ*. At in *Francicâ* sunt octo tempora; præsens; duo præterita imperfecta; duo perfecta, ut apud *Gallos Francorum* posteros; unum plusquam perfectum; & duo futura. Oritur autem hæc diversitas temporum à bifariâ imperfecti, perfecti, & futuri formatione, omnia enim hæc tempora vel simpliciter formantur per inflexiones sibi proprias, vel per verba auxiliaria. quæ inflexionum ope, sive terminationibus solis formantur, *simplicia* voco tempora; at *circumscriptiva* vel circumscripta ea voco, quæ auxiliarium ope circumscribuntur.

VII. Modus denique verbo accidit, quum quod attributum de subjecto diversimodè affirmetur, tum quod homines de rebus loquentes haud raro necesse habeant, non solum quid de iis judicent enuntiare, sed etiam quantum eas affectent, & desiderent exprimere, aut quid de iis statutum velint, aliis significare. Inde orti sunt quatuor vel forsitan quinque modi dicendi; quando enim res de re pure & absolute dicitur, iste modus dicendi à Grammaticis *indicativus* vocatur; quando vero res de re dicitur conditionaliter, vel cum particulis, quæ faciunt orationem esse *adversativam*, *exceptivam*, &c. tum modus iste dicendi *subjunctivus*, vel *conjunctivus* vocatur. Denuo modus loquendi, quo quis se velle rem in aliena potestate sitam exprimat, dicitur *optativus*; & *imperativus* dicitur iste modus, quo quis rem in sua potestate sitam fieri jubeat vel permittat; *potentialis* vulgo dictus à modorum numero, me iudice, amandandus est; & viderint critici, an modus *infinitivus* dictus, sicine dicendus jure sit, an potius *thema* verbi, ut aliqui contendunt. Equidem in modorum collegium grammaticorum communi suffragio cooptatum haud temerè expellendum cenfeo.

VIII. Verbum, secundum receptam partitionem, dividitur in *Activum*, *Passivum*, & *Neutrum*. Activum est quod actionem realem, ut *verbero*; vel intentionalem, ut *cognosco*, *video*, significat. Passivum, quod passionem significat, ut *verberor*, *cognoscor*, *videor*. Neutrum autem duplex est, vel quod actionem significat, vel quod rem aliquam sine actione significat. Istud Neutro-activum dici potest, propterea quod actio, quam significat, terminatur ab ipso agente, & in illo recipitur, hujusmodi sunt *prandeo*, *cæno*, *curro*, & similia, quæ distinguuntur ab activis, simpliciter dictis, quæ actionem significant transeuntis naturæ, in alio subjecto, vel objecto terminatam.

IX. Neutra actionem non significantia sunt quæ qualitatem, ut *albet*, *viret*, *friget*, *tabet*, *valet*; vel situm, ut *sedet*, *stat*, *jacet*; vel relationem ab locum, ut *adeſt*, *abest*; vel denique essentiam, existentiam, aut statum rei significant, ut *est*, *existit*, *quiescit*, *ſilet*, *excellit*, *præest*.

Hæc est communis verborum divisio, quam admittendam & à nobis esse duximus, tametsi lingua *Francica* non agnoscat verbum passivum, utpote in quâ vox passiva non peculiari inflexione formatur, ut apud *Græcos*, & *Latinos*; sed circumſcribitur in modis omnibus & modorum temporibus per participium præteriti temporis, & auxiliaria *wesen* & *werthen*, ut infra docetur.